

**Breves In Illustrem, De Virginis Filio, Immanuele, Prophetiam : Esaj. VII: v. 14, 15,
16. Contentam, Observatiunculæ**

[Zürich]: Typis Gessnerianis, MDCCXVIII

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870751247>

Druck Freier  Zugang





49. *dis*^o

50

Fa - 1092 (50.)



1. Christ. Sigism. Georgii disp. qua discolutio inuicem a Abrahama Gen. 12.
in Libria S. V. P. ad manus renovata. Witeb 1737.
2. An. Frider. Wertheimianus iudicialis Theologiae Mosicae aduersus fulger.
Wertheimianens. Lips 1737.
3. Christ. Sonnleijer de constitutione emortuali a Saulo ad Gen. 11. 7. 1811
4. Berah. Hin. Brückler de Cain a DEO iniustus irae comitis.
ad Gen. 11. 7. Jen 1727.
5. Jo. Christ. Ortkobius de signo Caini ad Gen. 11. 15. Lips 1711.
6. Joh. Wich. Hilligerus de homicidio et iudicio Lanawhi
ad Gen. 11. 28. Witeb 1673. oris
7. Abrah. Krieger de annis ante Deluuium mortalibus a DEO
tributis ad Gen. 11. 3. Lips 1736.
8. Jo. Guil. Pascher trias quae p. n. ad Deluuium perti-
nentium Helopii 1710.
9. Gottl. Eckstein de speculo ad Gen. 11. 27. Witeb 1678
10. Joh. Lambertus de statua Salis et Lothi ad Sodomam egress.
ad Gen. 19. Helmst 1674.
11. Lud. Bernh. Kemna de vera ipsius DEI apparitione ad Gen. 11. 11.
12. 13. contra Joh. Wertheimianens Lips 1738.
12. Aug. Pfeifferus de Teraphim ad Gen. 31. Witeb 1669. 1672.
13. Joach. Ehrenf. Pfeiffer de milo moralis ob diuinam ad bonos
finis et directionem ad egress.
Gen. 11. 21. Jen. 1737.
14. Abel. Hen. Verpoortenius de belli domini in Amalec
ad Gen. 14. 8-16. Jen 1736
15. J. Guil. Langius et San. Gottl. Krügerus de juce vitali ad
Gen. 22. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.
16. Joh. Trifahnuthus disp. an Hebraei statuas ad Gen. 11. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

17. Ben de Propheta Moysi per ad Deut. XVIII. 18. Jen. 1665.
 et. Lud. Christo. Hofer de questione: an liceat in bello fructifere
 rar arbores effundere. ad Deut. XX. 19. Lipf. 1708.
18. J. Trifhemuth disf. ad Deut. XXIII. 2. Aff. 2. Deut. XXI. 7. Mat.
 11. 5. 6. Joh. XVI. 7. quibus Forcum et Refamud Dorb.
 res Muhamedeni oculi nominis et Deo promissum fuisse
prophetam probare fatigant. Jen. 1665
19. Stanh. Calovii Paralyponem ad Arctata Anti gratiana ad
Carthun Musi Deut. LXXV. 10. & XXXIII. Witeb. 1660.
20. Theod. Hofer de Jephthura ad Deut. LXXVI. 18. Brem. 1740.
21. J. Christo Wulfius de apparatu Philippacorum belgias
 ad 1. Jan. XIII. 15. Witeb. 1711.
22. Joh. Fried. Lazarus de iusta populo Israclitico ab He.
ruicam desuperis causa Kil. 1737.
23. Franc. Wolkenius de praecipuis criticis in Job. lectione cur
tandis Witeb. 1747
24. Geo. Henr. Gottz cologa cum Lutheri librum Joh. cum
Tarenti Scriptis et Virgili Aeneide contulit Lipf. 1700.
25. Franc. Wolkenius de integritate textus originalis Joh. contra Ele.
nium viaticata Witeb. 1732.
26. J. Helv. Willcanem de ofculo Joh. in 11. 12. Witeb. 1670
27. Joh. Cons. Schramm de optato muncis Christi epitu ad 11.
XVI. Witeb. 1727.
28. Andr. Sennertus de quodam corpore Christi in apue
exfructi ad 11. XVI. Witeb. 1738.
29. Andr. Sennertus de cruce craticorum Witeb. ad 11. XVI. Witeb. 1670.
30. Progr. de angelo Dorini Castrometore. ad 11. XXXIII. Witeb.
1728.
31. Progr. de pluma pentecostali ad 11. XXVIII. o. 9. 10. 11. Witeb. 1705.
32. Joh. Christo Wulfius de infucate probato felicitate ad 11.
LXXXIV. 15. Lipf. 1707.

34. Jo. Phil. Meißner de duemouio meridiano ad J. XCI. 6. Region
1679.
35. Seb. Joch. Storkius de Christo de torrente in via vivente
et regni exactante ad J. CX. 6. Lipp. 1670.
36. Jo. Laur. Moskenius de officio Christiani circa de passionem vi-
tae alienae ad Prov. XII. 11. 12. H. Lipp. 1730.
37. Ben. Joch. Clauvitz de nimis infirmitate et improbitate
Salomonis ad Eccl. VIII. 16. 17. Lipp. 1721.
38. Jo. Guis. Paicrus de agri cultura ad Ecclesiast. XI. 1. 3.
Act. 1707.
39. Franc. Wittenius de superioribus exortibus Bethel. Seddonis
Palthsebae, Syndri et Salomonis. Elogio in Loh. XII. 1-19.
Witten. 1750.
40. Jo. Fischmuth de Evangelio sine exordio ad
Jes. II. 1. Jen. 1669.
41. Jo. Jac. Lauterius de virgine filio Immanuel.
Jen. 1710.
42. Jo. Just. Kistner de sepulchra Christi ad Jes. LIII. 9.
Hirt. 1699.
43. Jo. Schmidt de continentia in vita aeterna Jerem.
ad Jer. LXVI. 23. Ripp. 1721.
44. Jo. Fredr. Mejerus de Idolatria Judaica Populistica
Idolatriae commentario ad Jerem. II. 27. Lipp. 1670. res!
Witten. 1709.
45. 46. Theod. Daffnerus de Rabbinitate Philologiae Graecae anal-
XI tante. Witten. 1674 ad Jer. CXIII. 5. 6.
47. Jo. Christi. Reemius de prophetia visionibus Jerem.
elis ^{cont. de hebraeo} ~~elis~~ ^{sub} 1735.
48. Adum Reckenbergius de Rep. No. 9. 1. 2. Cret. ^{elis} ad
Cret. II. a. Lipp. 1710.

49. Jo. Weisenbordinus De anima pro anima ad Erck. II, 17. 10. 11.
Jan 1699 reimp.
50. Christo maior Augustus de ~~xxx~~ hebdomadibus Danielis
Feb. 1794.
51. Jo. Trifhemuthi demonstratio, qua Messias prorsum secundum
computum Danieli Cap. 12. apparuisse cernitur Jan 1690.
52. Gotth. Er. Museum de deificatione Christi cum Christianis
mythica ad Aug. II, 19. 20. Aug. 1711.
53. Gottlieb Gerhardus de divinatione ex baculo ad Aug. II, 12.
Aug. 1700.
54. Jo. Reinh. Augustus de Christo gloria temporis posterioris
maiori, quam fuerat prius ad Aug. II, 9. Jan 1757.
55. Jo. Trifhemuthus de adventu Esiae ad Malacchi II. 5. 6. Jan.
1659.

BREVES
IN
ILLUSTREM,
DE
VIRGINIS FILIO,
IMMANUELE,
PROPHETIAM,
Esaj. VII: v. 14, 15, 16. *CONTENTAM,*
OBSERVATIONUNCULÆ,

Quas,
IPSO IMMANUELE PROPITIO,
Placido Eruditorum Examine

Subjicit
JOH. JACOBUS LAVA-
TERUS,


SS. Theol. Profess.

Respondente,
JOH. JACOBO GESSNERO, v. D. M.

Assumente,
JOH. JACOBO HULDRICO, SS. TH. ST.

Postridie Synodi Autumnalis,
H. L. Q. S.

Typis GESSNERIANIS, MDCCXVIII





Breves, in illustrem, de Immanuele, Prophetiam,
 Esaja VII: 14, 15, 16. contentam,
 Observatiunculæ.

I.



Eus non tantum *Abasum*, unum ex Davidis, cui *Prophetie*
 in Messia, Protoplastis primum, inde *Abrahamæ* *summa* &
 mo, post Judæ, ex cujus lumbis David prodiit, *scopus*.
 promisso, Regni æternitatem promisit 2. Sam.
 7: Luc. 1: 2. Tim. 2: 8. filiis, & in Regno suc-
 cessoribus, sed cum ipso *universam Davidis do-*
num, tum temporis degenerem, imò univer-
 sum Regni hujus populum, excluso, suo re-
 spectu, reliquo Israëlæ, ut ex v. 8. cum primis apparet, immemorem
 promissionum, Judæ in genere; Davidi in specie, Gen. 49: de sta-
 biliendo ejus, per Messiam, omnemque in æternitatem producendo
 Regno, factarum, eoque, audita *confœderatione Regis Syria cum Rege*
Israëlis, filio Remaliæ, pavescentem, de Domûs & Regni sui conser-
 vatione desperantem, ejus à Domo Davidis, sine spe restitutionis, ab-
 alienationem, imò totalem Regni everfionem & domûs suæ extir-
 pationem metuentem, de Fidei in Deum, Messiam, ex tribu Judæ in
 genere, Davidis Domo in specie oriundum, sæpius jam iis promitten-
 tem, necessitate, ad excutiendum degenerem hunc, totalis & perpetuæ
 abalienationis Regni, à Domo Davidis, metum, instruere, neque
 adeò de præsentis tantum liberatione ab Hostibus, sed & de conser-
 vatione, imò restitutione tribûs & populi Judæ, post destructionem
 Regni Israëliti in totum, & Judæ ex parte, populique abductionem
 in captivitatem Assyriacam vel Babyloniam, ne post hanc destru-
 ctionem

tionem & captivitatem non fit ampliùs populus, sceptrum & Legislatorem habens, usque ad Messia, Immanuël hac in Prophetia dicti, adventum, cui, Regibus, Domus Davidis Hostibus, abrogatis, omnique adversaria potestate sublata, æternum & nunquam finiendum promissum est Regnum, de his, inquam, omnibus Deus Ahasum, cum universa Davidis domo, imò universo Judæ populo, certiore reddere, adeoque promissionem minoris beneficii, sed ad majus, tanquam finem suum ordinati, & illud pro scopo suo habentis, promissione majoris, quod sine priore locum habere non posset, hac in Prophetia confirmare voluit, ut tota ejus, diversis & distinctis, à Capite septimo ad duodecimum usque sese extendentibus, minimèque ab invicem divellendis, constantis partibus ostendit series: sic ut hæc Prophetia prorsus eadem sit cum illa Gen. 49: 10. 2. Sam. 7: Esaj. 11: Jerem. 21, 23, 33. & compluribus hujus generis aliis, cum apud Esajam nostrum, tum & prophetas reliquos &c. occurrentibus.

*Infidelitas
& diffidentia erga Deum, divinasque promissiones de Messia, Ecclesie inde à prima, in Paradiso, promissione factas, sed populo Israëlitico, & in eo, tribui Juda, & Davidi ejusque Domui singulariter appropriatas, priore Capitis hujus parte,*

II. Non obscurè priore Capitis hujus parte, in Ahaso, & tota Davidis Domo, imò tota tribu Juda, observatur & perstringitur infidelitas & diffidentia erga Deum, ejusque de Messia, Immanuel hinc dicto, promissiones, toti quidem Ecclesie, & in ea Patriarchis primùm, inde à prima in Paradiso promissione ante & post diluvium, & post eos populo Israëlitico speciatim factas, sed tribui Judæ, & Davidi, ejusque Domui, ex cujus stirpe prodire debuit, singularissimè appropriatas, tanquam fons metüs, pavoris & consternationis in præsentis periculo, & tanquam causa infidelitatis erga promissiones divinas particulares, sed cum universali illa & architectonica promissione, nexum suum, vel singularem saltem ad eam relationem, habentes: cum mirum non sit, eum, qui capitali huic & architectonica promissioni non credit, aliis etiam, ad illam unice respicientibus, credere non posse, vel saltem fides hæc, nisi cum illa conjuncta sit, stabilis & salutaris esse nequeat. Apparet id ex eo, quòd 1. cum Ahas, tum tota Davidis Domus, audito nuntio de confœderatione Regis Syriæ cum Rege Israëlis, ad extirpandam Davidis Domum & transferendum sceptrum ad Hominem alienigenam, & quidem sine ulla spe postliminii, seu reductus Regni ad Domum hanc, cui tamen æternum promissum erat regnum, expavisse dicuntur, & *cor eorum tre-*

tremuisse, sicut tremunt arbores sylvæ à vento, quòd aliunde non potuit esse, quàm ab infidelitate & diffidentia erga divinas promissiones, Davidi ejusque Domui specialiter factas: cum si fides iis habita fuisset, metus & pavor ejus modi locum habere non potuisset. Conf. Gen. 49. 2.Sam. 7. Psal. 89: 15. Act. 13: 34. cum Esaj. 12: 2. Matth. 8: 26. Marc. 5: 36. Luc. 8: 50. 1. Joh. 4: 18. 2. Quòd iis, non tantum antè, quàm facta, vel potius, novis licèt & memorabilibus cum circumstantiis, repetita promissio Architectonica, à qua reliquæ omnes tanquam à suo dependent fundamento, vel ad quam saltem peculiarem suum habent respectum, commendetur, quæ non nisi ex fide est *quies*, & *fiducia*, in Fide divinarum promissionum, multò ante Davidi & ejus Domui, de perpetuitate Regni in Messia, factarum, fundata, *procul omni metu & pavore*: siquidem cum hac *fiducia* & *quiete*, *pavor*, qualis tum temporis in iis observabatur, consistere non poterat: Sed quòd etiam facta promissione liberationis & protectionis in futurum, expressis verbis subjiciatur, quòd *nisi crediderint*, nempe iis, quæ Deus jam antè Davidi ejusque Domui promisit, & quorum pars jam erat impleta, *certi* etiam hac de promissione, & tuti *firmique* esse non possint: לא תאמרו כי לא תאמרו אלא *nisi credideritis* (dico vobis, juro vobis Conf. 1. Sam. 14: 39. 44. 25: 34.) quòd *non consistemini*, quòd *certi, firmi, stabiles* esse non possitis: Ubi תדאמרו in secundo lemmate manifestè opponitur תדאמרו quod *commoveri, tremere, vacillare* significat, supra v. 2. quasi diceret propheta, *nisi credideritis* Deo, Messiam, & propter illum, alia quoque promittenti, ipsiusque veracitatem pro fundamento fidei vestræ habueritis, *nunquam eritis tranquilli & quieti*, nunquam non tremetis, *sicut tremunt arbores sylvæ à vento*, uti jam quidem propter infidelitatem vestram tremetis & vacillatis. Conf. 2. Chronic. 20: 20. 3. Quia Ahaso infidelitatem dissimulanti, imò praefractè neganti, eoque, ne veritatem Dei, in hæcenus Davidi & Domui ejus factis, promissionibus, in dubium vocare videretur, *signum* petere nolenti tale datur *signum*, quod cum promissionibus de Messia hæcenus Ecclesiæ in genere, Judæ in specie, Davidi ejusque Domui specialissimè factis, manifestam & evidentissimam, cum quoad verba, tum quoad res ipsas habet convenientiam: hinc enim clarum & evidens, promissionem hanc, signi loco datam iis, qui, ut dixi, nolebant ii

videri, qui promissionibus hactenus datis, & quidem talibus, quæ fidei fundamentum spectant, sine qua fides omnium aliarum rerum revelatarum vel promissarum, ad primariam & architectonicam promissionem unicè referendarum, nulla est, vel nihil saltem ad salutem prodest, fidem non habeant, quoad rei essentiam aliam non esse, quàm quæ in Ecclesia semper, inde à primis ejus incunabulis, audita, Judæ autem & Davidi ejusque Domui specialiter applicata vel appropriata hactenus fuit, & præfenti quoque in casu novis cum circumstantiis applicari & confirmari debuit.

Quare Pro-
pheta non
cum Prophe-
tissa conju-
ge, sed cum
Filio Schear-
jaschubo jus-
sus fuerit
obviam ire
Regi?

III. Jussus erat Propheta non cum *Prophetissa*, conjugè; quanquam & hæc sacra in Prophetiæ hujus scena, ut jam jam visuri sumus, suum habuerit locum; sed cum filio *Schear-jaschubo* obviam ire Regi: non cum illa, ne nempe signum *Ahaso* vel Domui ejus, imò toti Judæorum populo datum, וְיָלֵם sc. *Virgo Immanuelem conceptura & in lucem editura*, Prophetissa esse videretur: cum *Prophetissa* typus tantum ipsius וְיָלֵם fuerit (non וְיָלֵם ipsa); quod prius non tantum sine periculo, sed summo jure, & solido cum fundamento dicitur, ut ex collatione hujus & sequentis capitulorum: cum, quæ ibi de *Prophetissa* ejusque filio prædicuntur, eodem prorlus tempore, (licet non eodem loco, nec iisdem testibus) prædicta fuerint, quo Prophetia de וְיָלֵם *Virgine*, ejusque filio *Immanuele* facta, & una ad alteram apertam & manifestam relationem habeat, & posterior prioris confirmatio & typus esse debuerit. Sed cum hoc *Schearjaschubo* sc. quia periculum non erat, ne ille *Immanuel* esse putaretur, cum *Immanuel* multo post demum concipi, & nasci debuerit, non tamen etiam, ut is crederetur esse *ille puer*, de quo v. 16. quum, quæ de *puero illo*, v. 16. dicuntur, nullam ad nomen *Schear-jaschubi* propheticum, ad quod tamen haud dubiè respectum, imò cujus solius gratiâ adductus fuisse jure meritòque creditur, habeant respectum, sed ut *Immanuelem*, post *captivitatem* demum *Affyricam* vel *Babylonicam*, ex qua reditum suo nomine promittebat *Schear-Jaschub*, concipiendum & in lucem edendum esse cogitarent, quod & confirmatur ex Capituli hujus v. 17, 21, 22. & seqq. & Cap. 8: 5, 6, 7, 13, 14. & seqq. Cap. 9: 1, 2, 6. & seqq. Cap. 10, 11: 1. & seqq. Ut denique *Immanuelem* scirent, ad liberationem ab hostibus & salutem, non promitti toti populo, majore sui parte rejecto,

jecto, sed Schear- jafchubo, reliquii, τῶ λείμματι καὶ ἐκλογῆν χάριτος,
reliquiis secundum electionem gratiae Rom. 11: 1. & seqq.

IV. Duo erant Reges, non Ahaso tantum, Davidis Filio, & Quo sensu de duobus Regibus. Ahaso est Domini Davidis adversis dicitur, quod illi sint et mansuri sint Capita suorum Regnorum et quod post 65. annos Ephraim non amplius futurus sit populus? successori, sed toti Davidis Domui, imò universae tribui Judae ad-
 versi, *Rex Syria & Rex Israël*, quorum consilium erat, Davidis posteros & successores, imò universam ejus Domum Regia sua potestate exuere, ac prorsus extinguere, Regnum autem ad Regis Syriae, Rezinis, & Israël, fiduciarium, Tabelis vel Tabrimmonis cujusdam Syri filium, in perpetuum, si fieri posset, transferre: quod *consilium* Deus se per *Immanuel*, ut ex Capite octavo apparet, posteris licet demum temporibus concipiendum & in lucem edendum, attamen ceu verum Deum tunc temporis, imò verò ab aeterno existentem, *irritum redditurum* promittit, & ita quidem, ut non tantum non hac vice voto suo potiantur, sed ut & in posterum, *Damascus Metropolis* sit futura *Syriae*, & *Caput Damasci Rezin*, ejusque successores, in Regnum Judae nullam, ceu Reges, habituri sint potestatem: insuper *Ephraimi Metropolis* sit *Samaria*, *Caput* verò *Samariae Peka* (cujus nomen per contemptum non exprimitur) *filius Remaliae*, sed ita, ut *annos intra sexaginta quinque* (undecunque tandem hi anni supputentur, de quo hic nihil definimus) *Ephraim non amplius futurus sit populus*: nedum ut Judae Regnum Davidis posteris eripere, & ad se vel alium quemvis transferre, sibi obnoxium reddere possit: cum è contra Davidis posteris, *Ezechias*, ejusque successores, in *Messia*, qui hac in Prophetia *Immanuel* dicitur, Regnum sint habituri aeternum, sicque *populus Judae* non tantum mansurus sit *populus*, ab aliis populis distinctus, *Israële* reliquo seu inter gentes disperso, seu Judae populo inferto, sed & non obstante *Affyriaca* vel *Babylonica* captivitate, in qua Regia Domus Davidicae potestas cessare, imò post eam ad alios, non tamen vel Syros, vel *Ephraimitas* transferri debuit, *sceptrum* tamen latè sumptum, seu *Legislatoriam potestatem*, retenturus, usque dum *venerit Messias*, *Davidis* & ipse *filius*, *Immanuel*, cujus esset Regnum, & cui esset *obedientia populorum* &c. qui sublati & abrogatis Regibus, Domui Davidis adversis, imò sublata tandem omni potestate adversaria, super Domum Jacobi spiritualem, ex Judaeis & gentibus constantem, regnaturus esset in aeternum. Gen. 49. Esaj. 16. Ezech. 21. Luc. 1. 1. Cor. 15. V. Jube-

Quare, seu
qua insen-
sione & quo
scopo iussus
fuerit Aha-
sus signum
petere è ter-
ra, vel è
aglo è

V. Jübetur Ahasus à *Jehova Deo suo*, quem pro Deo suo agnos-
cere, & cui ceu Deo suo confidere debuit, quem etiam, verbis sal-
tem, ceu Deum suum, non obstante Idololatria sua, utcunque profes-
sus erat, cui tamen in suo corde non confisus erat, convictionis plenio-
ris ergò, *petere signum*, וְיִשְׁאַל אֶת-יְהוָה *è profundo*, i.e. ex imo terræ,
ad infernum usque, *vel ex alto* i.e. ex cælo, ad supremum usque,
Dei ipsius habitaculum: non tantum, quia Deus, ceu Dominus
cæli & terræ, signum ejusmodi dare poterat, quo fidem ejus confir-
maret, & quia Deus extraordinario signo Ahasum, universo cum
populo, de veritate & firmitate suarum promissionum sic convic-
tum volebat, ut nullus dubitandi superesset locus, vel etiam, quasi
Deus illi absolutè & simpliciter potestatem dare voluerit, petendi
nullo discrimine, quod vellet, & quaecunque & quomodo-cunque
vellet, sed & cum primis, ut eum de signo gratiæ, in promissione de
Messia, hîc *Immanuel* dicto, qui è *cælo in terram*, imò *εις τὰ κατώ-
τερα μέρη τῆς γῆς*, in inferiores partes terræ, sive, ut Symboli Apostolici
& Scripturæ ipsius stylo utamur, ad *inferos descensusurus*, ex *inferis*
rediturus, & post reditum ex inferis, *in cælum*, unde venerat, *rever-*
surus erat, pridem dato, commonefaceret, & tacitè hoc modo infide-
litate[m] ejus & diffidentiam de potentia & veracitate Dei perstrin-
geret, quasi tantundem diceret. *Pete à Domino Deo tuo*, quem ut
talem agnoscas, plus satis habes causæ, quum se jam ut Deum populi
sui, cujus tu Rex es, multis modis demonstraverit, imò quem, ut ta-
lem, agnoscere te & colere profiteris, *signum*, quo in fide de ejus po-
tentia & veracitate confirmeris, si signorum nondum habeas satis,
aut si de ejus potentia & veracitate non sis plenissimè seu convictus
seu persuasus, *pete signum è cælo vel è terra*, si majus petere potes &
grandius, quàm quod jam, Ecclesiæ in genere à primis ejus incuna-
bulis, seu quod Proto-plastis, Abrahamo, Isaaco, Jacobo, in specie
Judæ, adhuc specialiùs Davidi & Domui ejus, specialissimè, in Messia
promissione jam datum est, & quod Deus hac occasione Domui Da-
vidis denuo, novarum cum circumstantiarum maximè que memora-
bilium accessione, dare constituit, quod & posteris temporibus ad
impletionem usque promissionis daturus est, quemadmodum & post
captivitatem Assyriacam vel Babyloniam, quæ impletionem hujus
signi,

signi, juxta hanc ipsam prophetiam, præcedere debuit, ut de ejus ἐν πληρώματι & χρόνῳ, in plenitudine temporis impletione non magis ac de impletione aliarum huic subordinatarum, vel ad illam referendarum promissionum dubitare posset, factum est: imò quo aliud ipse Emmanuel, jam manifestatus in carne, *Judæis, signum è cælo petentibus*, dare noluit: sic illud post suum è cælo descensum, ostendens *in profundo*, seu *in corde terræ*, ut facilè inde concludere possent, eum, qui per illud tanquam in corde terræ aliquandiu futurus ostendebatur, è cælo venisse, & post reditum ex inferno *in cælum* esse reversurum, Gen. 3: 17, 22, 49. Deut. 30: 11, 12, 13. coll. cum Rom. 10: 6, & seqq. Hagg. 2: 6, 7, 8, 9, 21. & seqq. Matth. 12: 39. 16: 2. Luc. 11: 16. In hac, (ut repetam, quæ Deum dicere voluisse insinuavi,) toties Ecclesiæ in Proto-plastis, inde à prima ejus infantia, toties Patriarchis, Judæ, Davidi, ejusque Domui data & confirmata, & in posterum quoque similibus occasionibus confirmanda promissione, si non satis habeas signorum, aliud, & majus *pete*, si possis, *vel si hanc promissionem*, quæ Architectonica & Fundamentalis est, cui omnes reliquæ subordinantur, *non credis*, quid mirum, si de promissione jam jam tibi facta, ad illam unicè respiciente, dubites, eique *fidem* non substringas. Conf. Joh. 5: 46, 47.

VI. Ahasus, & cum eo universa ferè Davidis Domus (non enim *Quare Ahasus & cum eo universa ferè Davidis Domus oblatum à Deo* sine omni exceptione intelligenda, quæ v. 13. ei exprobrantur) oblatum à Deo Domino suo signum, si non satis haberet signorum, aut si non crederet, posse Deum & velle facere, quod promissit, respuens, petere noluit, ne non credere, aut Deo ejusque promissioni diffidere videretur. *Non petam* inquit, &c. *Quamvis ergo non Ahasus solum, sed & plerique ex Domo Davidis, tum temporis prorsus degenerare, cor pravum infidelitatis habuerint, Hebr. 3: 12. nihilominus infidelitatem & diffidentiam suam agnoscere noluere, sed per summam & detestabilem hypocrisim videri volebant credere omnibus, quæ Deus hætenus in universum, quæ Protoplastis in Paradiso, Patriarchis, Judæ, & Davidi ejusque Domui, ex tribu Judæ oriundæ sigillatim, de Messia, ejusque Regno in æternum stabiliendo, promiserat, neque etiam de præsentis promissione particulari, ad illam haud obscurè respiciente, dubitare: multum dissimiles fidelium, qui quamvis credant, fidei tamen suæ infirmitatem sentientes & agnoscentes, suæ infide-*

fidelitati à Deo *succurri* petunt, nec oblata tantum signa, quibus fides illorum corroboretur, respuunt, sed & signa, siquidem Deo id non displicere intelligant, humili tamen cum agnitione & deprecatione suæ infidelitatis, propriæque suæ voluntatis, in voluntatem Dei, resignatione, à Deo petunt. Jud. 6: 30. 2.Reg. 20: 8. Marc. 9: 24.

Quare & quò potissimum nomine perstringantur?

VII. Hinc à Deo per Prophetam perstringuntur, non tam, quòd signum à Deo oblatum respuerent, sed quòd cum signo, vel signi, jam multò antè Ecclesiæ, cujus membra videri volebant, in genere, Davidi & Domui ejus in specie dati, confirmatione, ob infidelitatem, quàm maximè indiguerint, respuerent sub prætextu fidei, & quòd Deum, quasi ei diffiderent, & de potentia ejus, vel veracitate dubitarent, *tentare* nollent, sicque dissimulantes, imò impiè negantes diffidentiam suam, non Hominibus tantum, sed & Deo, scrutatori renum & cordium, imponere vellent, & impia hac sua hypocrisi, cum pertinaci in duritie cordis sui perseverantia conjuncta, *Deum* quasi *fatigarent*, delassarentque. *Parumne est vobis, quòd fatigetis Homines, quòd & fatigetis Deum meum*, cui ego per gratiam ejus, ut Deo meo, credo, cui fidam, cui adhærebo, *non vestrum* amplius, utpote quem rejicitis, cui non creditis, quem non colitis, quicquid tandem verbis profiteamini, & qui vos, nisi resipueritis, & ipse rejiciet, nec *vester* amplius *Deus* erit. Conf. Hof. 1: 9.

Ipse Deus signum sese daturum promittit, & quare?

VIII. Quia Ahasus, & cum eo universa Davidis Domus, signum à Deo oblatum, è cælo, vel è terra dandum, non petere, sicque infidelitatem suam & diffidentiam tegere & occultare, voluerunt, *ipse* ergo *Deus*, partim ad eorum infidelitatem convincendam, partim verò ad eos, qui non omnino non crediderant, sed tamen corroboracione in fide indigebant, in fide sua infirma confirmandos, gratiæ *signum se daturum*, vel potius antè datum, sed novis cum circumstantiis confirmaturum promittit, signum *in cælo*, & è cælo, non minùs atque *in terra*, coruscaturum, signum ex quo necessariò & infallibiliter cognoscere possent, non tribum modò Judæ in genere, sed Davidis Domum in specie conservandam, & sceptrum ei traditum atque promissum, non obstantibus variis mutationibus, gravissimisque afflictionibus & concussionibus, in ea æternum mansurum, ad quod signum si attenderent, sique promissionem, quam exhibet, architectonicam, fidei;

fidei; sine qua alia quæcunque revelata & promissa, cum architectonica illa connexionem, vel qualemcunque ad illam respectum habentia, firmiter & sine vacillatione credere non possumus, aut sine cuius fide nullius rei revelatæ aut promissæ fides ad salutem prodest; fundamentum, radicem & basin, vera fide acceptarent, futurum, ut de præsentis promissione, quæ promissioni illi architectonicæ revera subordinatur, & ad eam, ceu finem suum unicè refertur, & in illa fundatur, dubitare non possint: cùm è contrà, si illam ceu fundamentalem & principalem non admittant, in hac quoque admittenda vacillare debeant, minimeque de ea certi & securi esse possint. Conf. v. 14, 15, 16. cum versibus præcedentibus, & inprimis cum v. 9.

IX. Signum hoc, è cælo simul & terra petum, hoc est, quòd *Deo* è cælo veniente, & *aliquid novi in terra creante*, Jerem. 31. vel quòd *Spiritu Dei, Matri Immanuelis*, in carne manifestandi, sive *λόγος* carnem assumpturi, & inter nos, in assumpta carne habitaturi *superveniente*, illa ceu *תולדה* *Virgo illa*, à Deo singulariter ad divinum hoc opus designata, & in scriptura velut digito monstrata, *Virgo Regia*, Davidis & ipsius, suo modo, Ahafi Matth. 1. stirpe oriunda, *Virgo virum non agnoscens*, in ipsa terra Judæ, longo post Ahasum tempore, post Captivitatem demùm Assyriacam vel Babylonicam, liberationem Ahafi à duobus Regibus &c. non exiguo post temporis demùm intervallo secuturam, ut ex collatione Cap. 7: v. 14, 15, 16. cum v. 17, 22. & 9: 6. 11: 1. cum antecedentibus & consequentibus clarum, *conceptura*, vel *circumdatura sit virum, paritura sit filium*, quo sic nato & inter nos habitante dici possit, *Deum esse nobiscum*, *Deum in carne manifestatum inter nos ambulare*, *λόγον Sermonem, carnem factum, habitare in nobis* 1. Tim. 3. Joh. 1: 14. *Filium*, qui & *צמח יהוה* *Germen Jehovæ*, & *פרי הארץ* *fructus terre*, etiam *צמח יהוה* *Germen Domini* Esaj. 4. Zach. 3: 6. & *צמח דוד* *Germen Davidis*, Jerem. 23, 33. *‘ונו* *surculus ex trunco Davidis succiso* &c. ut ex collatione Cap. 7, cum 9, 11. &c. evidens, *Θεάνθρωπος*, & ratione finis, propter quem venturus erat, *Ἰησοῦς, Jesus (Christus) salvaturus populum suum à peccatis suis*, Matth. 1: 21. &c. qui licet ob *Regis, Davidis Domui infensissimi, furorem, Judæam, ceu terram suam* El. 5: 8. in qua concipiendus & in lucem edendus erat, *terram lacte*, unde *butyrum conficitur*, & *melle*

fluentem, relicurus, & in terra peregrina aliquandiu commoraturus sit, & redux in eam, alium *Regem*, ejusdem Davidicæ stirpis juratum hostem, metuens, sedem in ea figere tutum non sit judicaturus, (quæ quamvis expressis verbis non dicantur, subintelligenda tamen esse docent, ipsius loci circumstantiæ, phrasæ, quibus in eo utitur Propheeta, & imprimis collatio cum Jer. 31. Hof. 11. Matth. 1. & 2. in quibus impletio ostenditur) nihilominus aliqua in hujus terræ parte educandus, & consuetis in ea cibus, *butyro* & *melle*, pascendus & *nutriendus* sit, *usque dum bonum* & *malum discernere*, vel publicum hujus rei testimonium &c. præbere possit. *Antequam* autem hoc fiat, *duo hi Reges, terram*, quam tum temporis *fastidiebat Abas*, vel *quam* suo tempore, ob ingratitude suam, *fastiditurus* erat *Immanuel*, Joh. 1:14. Malach. 4:6. vel morte interveniente, vel per ejectionem ex ea, *derelicturi* sint, certissimum in pignus, fore, ut & reliqui ejus hostes, sub quibus juvenili & virili in ætate vivere & mori debeat, idem experiantur fatum, imò ut omnes, qui fecuturis etiam temporibus, quibus non ampliùs in terra, sed in cœlo futurus, & in throno suo sedens, medios inter hostes regnaturus erat, ejus se Regno opponerent, exterminentur, ejusque subjiciantur pedibus &c. 1. Cor. 15. quæ promissio Ahaso & universæ Domui Davidis, imò universo populo Judaico similiter argumento & pignori esse potuit & debuit, Deo Davidis domum curæ esse, promissionem de Regno super domum Jacobi &c. non obstantibus variis mutationibus, & throni ejus concussionibus, imò etiam non obstante translatione ejus ad alios, licet nec Syros, nec Ephraimitas, in æternum perpetuando, ratam futuram: & eum, qui huic promissioni inde ab Ecclesiæ incunabulis, quoad rei essentiam, auditæ, & Judæ tribui in specie, Davidi & Domui ejus specialissimè applicatæ & appropriatæ, hac autem vice novarum circumstantiarum accessione auctæ, & novo quasi sigillo obsignatæ, & confirmatæ, veracitati Divinæ innixæ, & eventibus aliarum promissionum, quæ promissionis hujus primariæ & architectonicæ impletionem præcedere debebant, multis hætenus modis comprobatæ, ceu fidei præcipuo objecto, crediderit, etiam particularem hanc promissionem, quæ generalem illam pro basi habet & fundamento, cum fide acceptaturum: & contra eum, qui fundamentalem hanc & architectonicam promissio-

fio-

tionem non credit, huic, & aliis, ad priorem illam unicè tendentibus, eamque pro scopo habentibus, firmiter & sine vacillatione, & cum respectu ad scopum & finem suum credere non posse : quæ omnia, aut pleraque, fufius jam & distinctiùs considerari merentur.

X. *Ecce* הַעֲלֵמָה, ἡ παρθένος, *Virgo*, non ἡ νεάνις, *adolescentula*: *Quæ* ^{fit} neque enim ulla vox est apud Hebræos, sive בתולה, sive גַּעְרָה, quæ ^{הַעֲלֵמָה} *Virginem* distinctè significet, & vi ipsi vocis insita, quàm hæc ipsa, ut ^{Virgo illa,} nullus omnino locus ostendi possit, ubi significationem hanc non ^{quasi digito} habeat. *Ecce* הַעֲלֵמָה *Virgo illa*, quæ aeterno, ut suprà dictum, Dei ^{à Deo mon-} consilio ad miraculosum hoc opus à Deo designata, Spiritûs Dei, è ^{strata, &} cœlo descendentis, virtute suo tempore imprægnanda; ex qua sine ^{quomodo} *Viro*, Dei virtute, æquè puer prodire potuit, atque prima in ^{conceptura} *Creatione* mulier prodiit è *Viro*; *Virgo illa*, quam *Moses*, in prima ipsis ^{fit?} *Protoplastis* in *Paradiso* facta promissione, *Messiam* זרע האשה *semen mulieris* vocando, & cum ipso *Esajas*, adhibito ab utroque ^{הַעֲלֵמָה} demonstrativo, velut digito præmonstravit, & ab alia quavis muliere, seu *Regis*, seu *Prophetæ* conjuge distinxit; planè ut *Christus* se ipsum velut digito monstravit, dicens: *Tu es Petra*, & *super hanc Petram* &c. *Matth.* 16. & *solvite hoc templum* &c. *Virgo illa*, *cujus filius* sic *mulieris* semen, ut *ratione* generationis immediatæ non sit *Viri* semen, seu *Viri* filius; *Virgo illa*, quam *Deus*, ut ex *Adami* & *Noachi*, sic *Semi*, *Abrahami*, *Isaaci* & *Jacobi* posteritate in genere, ex tribu *Juda* in specie, *ex Domo Davidis* specialissimè, adeoque ceu ipsius *Ahafi* cognatam, imo suo modò *filiam*, ad miraculosum hunc conceptum extra ordinem separavit, & suis in scriptura in genere, hoc loco in specie, ut suo tempore agnosci posset, characteribus insignivit; *Virgo illa*, *cujus typus Sara*, quæ quidem *Virgo* tum temporis non amplius fuit, sed quæ *Virum* habens, *cujus emortuum* erat corpus, quæque & ipsa effœta fuit, *filium* promissionis, ejus virtute, qui *mortuos* resuscitat, & vocat ea, quæ non sunt, tanquam si essent, enixa est, *Gen.* 17: 21. *Rom.* 4: 14, & seqq. *Virgo illa*, *cujus typus Aaronis virga*, quæ, arida licèt & vitali succo destituta, in *Sanctuario* una nocte gemmas, flores & fructus &c. protrusit, *Num.* 17: 8. *Virgo illa*, ex qua *Messias* כִּיּוֹן sicut *tenera planta* coram *Domino*, *וְכִשְׂרׁוּשׁ* & sicut *radix*, צִיָּה ex *terra sicca* affurrexit, *Esaj.* 53: 2.

Virgo denique *illa*, ut ad præsentem nostram redeamus Prophetiam, cujus *typus* Regii *Propheta conjunx*, *Prophetissa*, quæ & ipsa cum *Propheta* stirpe *Davidica* orta, & *Ahasi* ipsius cognata fuisse videtur, quæ, in confirmationem utriusque Prophetiæ, h. e. non illius tantum de solutione obsidionis duorum Regum, *Ahasi* *Hostium*, eorumque brevi interitu &c. sed & alterius de partu *Virgineo*, seu *Immanuelis* ex *Virgine* *nativitate*, illo ipso, ut ex collatione utriusque *Capitis* luce *meridiana* claritùs apparet, quo utraque *Capitis VII.* *Prophetia*, prolata tempore, sed aliam à priore secundum *Prophetiam*, & in præsentia aliorum, quàm *Regis*, & *Regiæ Domûs* *testium*, illustrium tamen & fide dignorum, privatim denique non publicè editam, filium, qui cum reliquis *Prophetae* filiis *מָשִׁיחַ* *signum* & *portentum* esse debuit, *Immanuelis* *typum*, concepit, & prædicto præcisè temporis articulo in lucem edidit, qui & *antequam Patrem* & *Matrem* *vocare* potuit, stylo *Prophético*, *opulentiam* *Damasci* *asportare* debuit, & *prædam* *Samariæ* &c. quæ & omnia, divino jussu, à *Propheta*, duraturis in omne ævum *tabulis* *inscribenda* fuere: Unde & manifestum, quòd quemadmodum *Immanuelis* *ex Virgine*, secundum hanc *Prophetiam*, teste *Rege* ipso & *universa* *Davidis* *Domo*, imò *populo* *Judæ* *universo* prolata, & *scripto*, *hodie* *extante*, confirmata, *ortus* & quæ duobus *Regibus*, ei in *infantia* & *pueritia* *adversis*, accidere, *signum* & *pignus liberationis* *Ahasi*, & *Domûs* *Davidis*, è *manibus* *duorum* *Regum* *iis* *infestorum* esse debuit: ita vicissim *Maher-schalal-haschbasi* ex *Prophetissa*, aliam secundum *Prophetiam*, cum *testibus* *fidelibus*, tum & *scripto*, cum *priore* *illa* *confirmata* *ortus*, *hostiumque* *Ahasi*, ante quàm *Patrem* & *Matrem* *vocare* potuit *devictio*, *spoliatio* & *deprædatio* *vicissim* & *signum* & *pignus* *ortus* *Immanuelis* *ex Virgine*, ejusque *victoriæ* *de omnibus* *ejus* *hostibus* *reportandæ* esse debuerit: qui *Divinus* *Prophetiarum* & *promissionum* *in iis* *contentarum*, *sele* *multuò* *permeantium*, *sustinentiumque* *circulus*, planè *admirandus*, *fidei* *nostræ* *firmissimum*, *columnis* *certè* *Solomonici* *Templi*, *Jachin* & *Boas*, *firmius* *est* *fulcimentum*, cum una alteram confirmet, una alteri fidem conciliet, & *conceptus* *cumprimis* *partusque* *Virginis* è *Domo* *Davidica*, & *Immanuelis* *Regis*, cui *æternum* *super* *Domum* *Jacobi* *promissum* *erat* *Regnum*, ex ea
ortus

ortus &c. ut Divinæ omnipotentia, ita & Divinæ erga Eccle-
siam, **דודי דוד הנאמני**, τὸ ὅσιον Δαβὶδ τὸ πρὸς εἰ πρᾶstantis, cle-
mentia, irrefragabile sit argumentum, Esaj. 55. Act. 13: 34.

XI. Filium hunc **תו העלמה**, tu *Virgo Mater* (ad eam enim per
Apostrophen oratio subito converpitur) cū ordinariè non Matris,
sed Patris hoc munus sit & Privilegium, Conf. Gen. 4: 1, 25. cum
16: 15. 21: 3, 29, 30. 35: 18. &c. Tu, inquam, Virgo Mater, Davidis,
& ex parte Ahafi quoque Filia, non Pater (cū Virgo sine Viro, ex
Spiritu Sancto, eum concipere & parere debuerit) Tu quoque, cum
Virgine matre, *Ecclesia*, *Virgo* intemerata & casta, à Virgine & mu-
liere, de cujus femine hīc sermo est, adumbrata, quæ & ipsa Chri-
stum spiritualiter concipere, nec sine flagrantissimo desiderio, eoque
nec sine prævio ingenti, ex diuturna expectatione, orto dolore, qualis
parturientium dolor est, in lucem eniti debuit, licet ultimi conatūs,
vel ultimi quasi nixūs respectu, *cū nondum* (de novo) parturiret,
pepererit, & *antequam* (ultimus) eam invaderet dolor, *enixa sit masculu-*
lum, Mich. 4: 9, 10. 5: 3. Gal. 4: 19. Apoc. 12: 1. &c. Esaj. 66: 6, 7, 8.
Tu, cum Virgine matre, non terrestris, sed cœlestis *Hierosolyma*, *Filia*
Sion spiritualis & cœlestis, à terrestri Sione v. i. adumbrata, Tu inquam
קראתם καλέσεις, *vocabis*, & tecum **καλέσουσι** *vocabunt* fideles omnes, *no-*
men ejus, **עמנואל** *Immanuel*, non ut nomen altaris à Mose erecti vo-
catum fuit, **יהוה נסי**, *Jehova rexillum meum*, Exod. 31. aut ut no-
men Urbis Hierosolymæ esse debuit, **יהוה שמה** *Jehova ibi*. Ezech.
48: 35. cū hæc non propriè nomina altaris & urbis, sed Dei, cui
altare erectum, & qui Hierosolymam inhabitavit, fuerit, sed ita,
ut eo præsentē dici possit, **Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί**, *Deus manifesta-*
tus est in carne, 1. Tim. 3. vel **Θεὸς ἐάνθρωπος** *Homo - Deus nobiscum est*.
Ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, *Sermo Caro factus est*, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν **Θ**
habitavit in nobis &c. Joh. 1. vel, ut Ecclesia, nostri hujus loci inter-
pres Cap. 9. dicit, **ילד לנו** *nobis natus*, בן **ילד נתן לנו** *datus*
nobis, *cujus humeris principatus impositus*, *cujus nomen vocabitur* **פלא**
Admirabilis, פָּרָץ *Consiliarius*, אל גבור *Deus fortis* &c. v. 5, 6. Jerem.
31: 22. vel sic vocabitur, uti alibi **יהוה צדקנו** *Jehova justitia nostra*
dicitur, Jerem. 23: 33. quo præsentē non est, cur fideles quemquam
ex omnibus salutis nostræ hostibus timeamus, cū in *Immanuele*
quo-

Filius hic
quomodo di-
cendus &
nominandus
Immanuel ?

48.

44

44

44

44

44

42.

quoque habeamus Ἰησοῦν, *Jesum*, salvaturum populum suum à peccatis suis, Matth. 1: 21, 23. adedque & ab omnibus reliquis hostibus, Luc. 1: 35. sic ut nobis, *Jehovà per Immanuelem*, ceu *Jehovam*, populum *Judæ* singulariter salvare volente, Hof. 1: 7. in Immanuele ceu *Jehova* gloriari liceat & dicere וַיִּרְוּנוּ *consociamini populi* &c. Cap. 8: 9, & seqq. *Vocabis* denique, & *vocabunt* tecum fideles omnes, non obiter & qualicunque modo sic nominando, sed nominando *in fide*, & *cum fide* in eum, quòd ut talem agnoscant, ut talem actu experiantur, eoque ei, ut tali confidant, eum ut talem colant, ab eo ut tali *liberationem ab omnibus*, non minùs spiritualibus, quàm corporalibus *hostibus expectent*, ut sc. *ei servire possint in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ suæ*, Conf. Esaj. 54: 5. Luc. 1: 35. & *fidei* tandem suæ τὴν ἑσπέραν *finem reportent, salutem animarum*. 1. Petr. 1: 9.

Quo sensu
Immanuel
d. carur bu-
tyrum &
mel comestu-
rus, donec
&c.

XII. Hoc de Virginis Filio, Immanuele, cùm dicitur, quòd וַיִּבְרָא *butyrum* & *lac comesturus* sit, וְיָדַע *ut sciat*, vel *donec sciat* &c. his utique verbis, plus in recessu habentibus, quàm prima fronte promittere videntur, non tantùm veritas humanæ naturæ, utpote cibo indigæ, & eodem, quo nos alimur & nutrimur, modo sustentandæ, innuitur Joh. 4. nec, quòd regius licèt puer, non in deliciis educandus, sed cum pauperibus, sive tenuioris fortunæ hominibus, vel saltem cum hominibus ab omni luxuria alienis, temperantiæ è contra studiosis, cibo vulgari & parabili sit usus, ut Johannes Baptista, Matth. 3: 4. Conf. Zach. 9: 9. aut si quæ aliæ hujus generis dari possunt causæ, sed quod, meo quidem judicio, est præcipuum, quòd puer Immanuel (cujus sequenti versiculo expressa fit mentio,) *in terra* Israël, ceu terra promissionis, in qua juxta Prophetias apparère & revelari debuit, *terra lacte*, unde *butyrum* conficitur & *melle fluente*, & *his rebus*, etiam *post captivitatem Assyriacam* vel *Babylonicam, abundante* (nam præter locum, etiam characterem temporis, quo Christus in mundum venire debuit, hac phrasi designari coll. v. 15. cum 21, 22. docet,) non tantùm concipi & nasci, sed non obstantibus Regum illius terræ, & quidem alienigenarum, Herodis & Archelai, qui tempore nativitatis ejus, & ejus in infantia atque pueritia, rerum potituri, & ad gubernacula sessuri sint, insidiis, quibus Josephus tutor, & Maria mater Virgo cum puero Jesu in *Ægy-*

Ægyptum, terram, alio longè, ciborum respectu, caractere insignitam, ut ex Num. 11. clarum, fugere compulsi sunt, & post reditum ex Ægypto eodem, vel altero saltem, post fugam, anno factum, in Judæa sedem figere timuerunt, Angeli autem monitu in Galilæam, ejusdem terræ partem, sese recepere, juxta Matth. 2. integrum, educari, & sanus salvusque cibus hujus terræ, lacte sive butyro, & melle vesci debeat ad annos usque discretionis, sive usque dum publicum discretionis boni & mali specimen, velut in præludium muneris publici juvenili vel virili in ætate, ad tempus usque cursui ejus destinatum, perfundendi, dare possit, neque adeò periculum futurum, ne sua in infantia, antequam ad munus, sibi his in terris obeundum, aptus factus, eoque actu functus, puerorum Bethlemiticorum fatum experiatur, & è medio tollatur vel excindatur: neque enim ex his verbis concludere licet, quòd, postquam puer Immanuel ad annos discretionis pervenerit, & cognitionem boni & mali acquisiverit, non amplius in terra mansurus, butyrum & mel non amplius comesturus, h. e. sanus salvusque superfuturus, sed statim excindendus sit, cum nemo ignoret, hâc loquendi formulâ non semper rei, de qua agitur, terminum, quasi ultra illum sese res non extenderet, significari, &c. 2. Sam. 6:27. Matth. 1:25. &c. quin potius hoc ipsum verbis hisce occultè & tacitè innui putem, quòd cum ad annos usque discretionis pervenerit, seu cum publicum discretionis boni & mali specimen ediderit, in terra porrò mansurus, nec obstantibus tot tantisque insidiis superstes futurus, & terræ, quam pede suo perambulare debuit, cibus sanus salvusque usus sit: imò verò & munere, propter quod, ad annos discretionis usque, à Deo conservatus & contra omnes hostium insidias protectus fuit, & cujus tam insigne atque luculentum in sua pueritia edidit specimen, usquedum assignatum sibi vitæ & muneris cursum absolverit, sic functurum, ut ad illud usque tempus nullæ hostium insidiæ tantum valituræ sint, ut antè illud è terra viventium extingui possit. Conf. cum nostra Prophetia Jerem. 31. Hof. 11 Matth. 1, 2. Luc. 2. cum universa historia Evangelica.

XIII. Hæc verò omnia mirificè per sequentia, cum antecedentibus per particulam *ὅτι* *quoniam* connexa, illustrantur & efficacissimè confirmantur, *כי בטרם הנער וגו'*, quia, antè, quàm puer *qui Reges, de quibus v. 16.*

C

hic

quomodo
terra ab iis
relinquen-
da, ante
quam &c.

hic Immanuel sc. (neque enim, sine manifesta violentia, verba hæc ab antecedentibus avelli, & ad Searjafchubum, vel quemvis alium puerum trahi possunt) *sciat reprobare malum* &c. quasi his verbis per occupationem ratio redderetur, quomodo fieri possit, ut puer Immanuel, non obstantibus duorum Regum, qui, ejus in infantia rerum in terra Judæ potituri erant, insidiis, quibus ad terram Judæ, in qua conceptus & natus fuit, relinquendam, & fugam in Ægyptum capeffendam coactus fuit, in terram redire, & in ea ad annos discretionis pervenire, & postea munere suo, cujus gratiâ eo usque à Deo conservatus fuit, defungi potuerit, quæ ratio petita, à *duorum Regum*, Immanueli in infantia & pueritia ejus adverforum, ejusque vitæ insidiantium, *interitu, antequam ad annos discretionis*, quos, propter diversos gradus, ad annos nimis paucos, triennium, vel septennium, ut ex Luc. 2. clarum, constringere non licet, *pervenerit*, vel antequam publicum cognitionis boni & mali specimen ediderit, (non rarò enim aliquid fieri dicitur, quum manifestum & apertum ejus specimen perhibetur, ut Matth. 12: 33. Joh. 8: 31. 15: 8. Act. 2: 36. &c.) quod anno ætatis ejus 12. in templo Hierosolymitano, ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων, *in medio doctorum*, adeoque solennissimo modo factum est, Luc. 2: 42, 46, & sqq. *antequam* inquit Propheta, *hæc fiant, terra, quam tu* (Ahas) non aliter *fastidis*, ac si non tua amplius, sed hostium, vel non tuæ amplius, sed hostium potestati esset subjecta, tuque ex ea, sine ulla restitutionis, pro te & posteris tuis, spe, actu esses ejetus &c. vel per Apostrophem, similem ei, quæ v. 14. ad Virginem matrem facta erat, & ad Immanuel ipsum ἀναγλυφῆτως fit Cap. 8: 8. & quemadmodum hujusmodi figura apud Zachariam uno eodemque bis recurrit versu, cap. 9: 13. *quam tu*, (ô Immanuel) ob ingratitudinem suam; quia cum venit *eis τὰ ἴδια, in sua*, in terram suam, *οἱ ἴδιοι, sui*, incolæ hujus terræ, populus ejus, *eum non receperunt*, Joh. 1: 11. unde & *terra, salvatis in ea reliquitis*, τῶ καὶ ἐκλογὴν χάριτος & *λείμματι*, Rom. 11: 5. *reliquitis secundum electionem gratiæ, anathemate percussa* est, Esaj. 1: 10. Malach. 4: 6. *relinquetur à suis Regibus*, non iis, qui tempore Ahasi vivebant, & ipsius regno inhiabant, Rezino, Syriae, & Filio Remaliæ, Israëlis Rege, de quibus supra, sed iis, qui victuri erant tempore nativitatis Immanuelis, & terram ejus, uti cap. 8: 8.

ex-

expressè vocatur, possessuri, & Immanueli, universæque Domui Davidis insidiaturi, & ad eam, cum Immanuele ipso prorsus extirpandam, nihil relicturn erant intentatum, h. e. ab *Herode*, qui non multò post infanticidium Bethlehemiticum, propter Immanuelem Jesum Christum, unicè susceptum, anno ætatis Christi secundo, quo cum matre exul in Ægypto fuit, atroci morte periit, adeoque regnum & terram reliquit, & *Archelao*, qui non tantùm anno ætatis Christi tertio, ob tyrannidem suam, regia potestate exutus, sed anno ejus undecimo Viennam in exilium relegatus fuit, adeoque imperio omni deturbatus, cum regno vel principatu terram quoque Immanuelis ipsam & ipse reliquit, & ita quidem reliquit, ut Judæa Herodis posteritati prorsus erepta, & Romanorum provincia constituta fuerit. Joseph. Antiq. Jud. Lib. 17. cap. 15. Lib. II. de bell. Jud. cap. 67. Ipse verò Immanuel anno ætatis, ut jam dictum, duodecimo, publicum & solenne *cognitionis boni & mali* specimen, ipso in templo, medios inter doctores dedit: sicque muneri suo publico, similibus haud dubiè aliis cum speciminibus, in adolescentia & juvenili ætate editis, licèt Historia Evangelica expressam hujus rei mentionem non faciat, ætate in virili obeundo prælusit: certissimo argumento, nec alios Immanuelis hostes, quos in adolescentia, juventute & virili ætate habiturus erat, illi ante absolutum muneris sui cursum prævalituros, simileque cum Herode & Archelao fatum experturos; quod Pilato præsertim accidisse ex Eusebio & Cassiodoro discimus; imò illum, non obstante suo interitu, omnibus prævaliturum, & post suam è mortuis resurrectionem & ascensionem in cælum, regnaturum, donec inimici ejus omnes ponantur scabellum pedum ejus. Psalm. 110. 1. Cor. 15: 25, &c.

XIV. Quàm egregium jam hoc fuerit signum & quàm firmum *Signi Ahaso*, argumentum, Ahaso, & Domui Davidis, & universo Judæa populo, ad *primâ capi-* confirmandam promissionem, primâ hujus capitis parte contentam, *is hujus* propositum; Quam item relationem tertiâ hujus Capitis pars ad hanc *parie dati,* prophetiam habeat, & quantam lucem illi foenerari possint sequentes *præstantia,* prophetiæ cap. 8- 12. contentæ &c. ut de aliis nihil dicamus, quia jam *et relatio* hinc inde monitum, brevitatis causâ, & quia neminem hoc latere po- *tertia partis* test, qui collationem harum rerum vel obiter instituere velit, pleniori *hujus capi-* deductione libenter superfedemus. *is ad hanc* *prophetiam* *&c.*

XV. Ex-

*Explicatio
hæc nemini
obtrudatur,
sed nec te-
mere reji-
cienda esse
putatur.*

XV. Explicationem verò hanc illustris hujus prophetiæ, fun-
damento, si quid video, non omninò carentem, & ex collatione cum
Matth. 1, 2. Luc. 2. in quibus impletio omnibus ferè suis in partibus,
si ab eo, quod ex Josepho citavi, discefferis, meo judicio ostenditur,
non exiguâ radiantem luce, addo & cavillis Judæorum minùs, quàm
quævis alia, expositam, nemini obtrudimus, sed tamen nec temere,
ac sine maturo, quoad omnes ejus circumstantias, & cum compa-
ratione ad alias explicationes vulgò receptas, examine, rejiciendam
esse, monemus.


Ἐν ἑλικῶν νήλωμα βλάβη τέκ' Ἰππυθονίοισιν
Ἄψαμένη μήτω κελιδίοιο λέχης.
Οὐ μὴν πω ἴ' ἀχθεῖσα ἐναλλάξ μᾶνον ἑάων
Ἄμμι δοτήρα κυεῖ θεσπεσίη Μαελᾶμι


App. ASS.


F I N I S.




7.









43

respicit, Tota, inquit, questio est de loco postea
 quem ad Eliam illum veterem Thesbiten spectant
 unt LXX. Interpp. Verterunt enim: Ecce ego mitto
 bitem &c. Idem plerique sanctorum patrum, sacre
 retum tradunt, ut videre licet apud Riberam ad
 vocat ad Versionem Græcam, in qua pro Ηλιας
 am Propbetam, multis retrò seculis legebatur,
 du, Eliã Thesbitem. Unde Cyrillus Alexandrinus
 is ημερότατ, κ̄ ἀνεξικακίας θεῶ, τ̄ κ̄ Ηλιας ημῶν
 ενκαλίμψαυ καὶ ᾱ καιρῶς, ὅτε παρίσται λοιπὸν ὁ κ̄
 τας τῶν οικουμένων προαγγελιδοντα. Argumentum
 & tolerantia Dei, quod Elias Thesbites quoque nobis
 urus est, qui omnibus mortalibus affuturum judi-
 Licet verò non tam ipsorum Interpretum,
 γεαφόντων culpà vox Θεσβιτης Versioni illata
 uippe quæ, teste ipso Cornelio à Lapide, in codi-
 reperitur, in Regia editione non item; factum
 t, ut ille error ad Græcos primùm Patres, dein-
 & tandem totam Romanam Ecclesiam manâ-
 nymus in eandem sententiam à Pontificiis alle-
 Comment. in Matth. XI, 14. ita scribit: Sunt, qui
 nnem Eliam vocari putant: quòd quomodo in se-
 is adventu juxta Malachiam processurus est Elias,
 dicem annunciaturus: sic Jobannes in primo fece-
 it nuncius vel primi adventus Domini, vel secundi.
 Matth. XVII, 11. Ipse, inquit, Elias, qui venturus est
 ator adventu juxta corporis fidem, nunc per Jo-
 n virtute & spiritu. Cœterùm etsi illum com-
 i addictum fuisse, ex allatis verbis colligant,
 ò tamen quæritur, cur Pater sanctitate venera-
 nt. ad Mal. IV, propriã nempe sede dogmatis de
 dem non asseruerit? Ibi enim hæc verba legun-
 omnius in Elia omnium Propbetarum chorum, qui
 consuet-